

PLOMLOMPOM
FABVLAE ADDENDAE

ANNO MMXXV

FABVLAE ADDENDAE

© MMXXV Plom Heller (nōminātur plomlompom)

plom@plomlompom.com

Liber confectus L^AT_EXope.

Imāginēs dēlineantur Gimp et Stable Diffusion/AUTOMATIC1111 ope.

INDEX FABVLARVM

PROVINCIAE ROMANAE	4
DOMINA EVROPAE	6
LIBRI LIBERORVM	7
NVM DOMINVS PLORAT?	8
DOMINI NOVI	9
VILLA VACVA	12
MVLTAE VILLAE, MVLTAE PORTAE	14

littera Rōmāna: V


litterae nōn
Rōmānae: u, U, v

V/v et U/u ← V

v = V in
PROVINCIA
(prōvincia)

u = V in
CAPITVLVM
(capitulum)

ad capitulum
p̄rimum:



nōnne = nōn-ne



PROVINCIAE ROMANAE

AD CAPITVLVM I

DIODŌRUS: Ubi est imperium Rōmānum?

SEXTUS: In Italiā est.

DIODŌRUS: Est. Et ubi est?

QUĪNTUS: In Āfricā est. In Galliā quoque est!

DIODŌRUS: Est. Suntne Āfrica et Gallia prōvinciae Rōmānae?

SEXTUS, QUĪNTUS: Sunt!

DIODŌRUS: Num Germānia quoque prōvincia Rōmāna est?

MĀRCUS: Est!

DIODŌRUS: Nōn est. Germānia in Eurōpā est, sed in imperiō
Rōmānō nōn est. Sed magnum est imperium Rōmānum, et multae
sunt prōvinciae Rōmānae.

SEXTUS: Numerus magnus est!

QUĪNTUS: Nōnne Hispānia quoque prōvincia Rōmāna est?

DIODŌRUS: Est.

SEXTUS: Hispānia magna est. Multa et magna oppida in Hispāniā sunt, et fluvii multī et magnī!

MĀRCUS: Quid? Pauca oppida in Hispāniā sunt, et fluvii parvī.

DIODŌRUS: Pauca oppida in Hispāniā sunt, sed parva nōn sunt.

- 5 Sunt parvī fluvii in Hispāniā, sed paucī nōn sunt. In Hispāniā sunt multī fluvii parvī et pauca oppida magna. Silvae quoque multae et magnae in Hispāniā sunt.

QUĪNTUS: Nōne Graecia est prōvincia Rōmāna?

DIODŌRUS: Est. Multae sunt īnsulae Graecae in imperiō Rōmānō.

- 10 MĀRCUS: Sunt multae, sed parvae!

DIODŌRUS: Sunt in Graeciā īnsulae parvae, sed sunt in Graeciā īnsulae magnae quoque.

QUĪNTUS: Suntne īnsulae Graecae in ōceanō Ātlanticō?

MĀRCUS: Sunt!

- 15 DIODŌRUS: Num īnsulae Graecae in ōceanō Ātlanticō sunt? Nōn sunt.

QUĪNTUS: Suntne īnsulae Rōmānae in ōceanō Ātlanticō?

MĀRCUS: Sunt! Nōne Britannia est?

DIODŌRUS: Est in ōceanō Ātlanticō *īnsula* Britannia. Est *in* īnsulā

- 20 Britannīā *prōvincia* Britannia. Sed magna est īnsula: Sunt silvae multae et fluvii multī in īnsulā Britannīā, sed sunt in prōvinciā Britannīā paucī fluvii et paucae silvae.

MĀRCUS: Nōne prōvincia Britannia est prōvincia Rōmāna?

DIODŌRUS: Est. Num *īnsula* Britannia est īnsula Rōmāna?

- 25 MĀRCUS: Est!

SEXTUS, QUĪNTUS: Nōn est!

parva ↔ magna
pauca ↔ multa



silva, silvae

īnsula Britannia:



~~prōvincia~~ *īnsula*
Britannia:



prōvincia Britannia
(*in* īnsulā Britannīā)

Ecce domina Rōma!

Hispanus -a -um
← Hispania


Britannus -a -um
← Britannia

Māter	Pater
ancilla	servus
est.	nōn est.

Filiae sunt ancillae.
Filiī sunt servī.

Māter	Pater
ancilla	servus
nōn est.	est.

Filiae nōn
sunt ancillae.
Filiī nōn
sunt servī.



DOMINA EVROPÆ
AD CAPITVLVM II

Ubi sunt filiī et filiae Eurōpae, Āfricae, Asiaeque?

Sunt in imperiō Rōmānō. Sunt servī et ancillae familiārum Rōmānārum. Magnus numerus est servōrum ancillārumque. Virī Rōmānī dominī servōrum sunt Graecōrum Hispanōrum Britannōrumque, et servōrum cēterārum prōvinciārum. Rōma domina est multārum magnārumque prōvinciārum. Multae fēminae sunt ancillae in imperiō Rōmānō, et multī virī sunt servī.

Līberī Iūliī Aemiliaeque nōn sunt servī. Parva puella Iūlia ancilla nōn est. Sed multī puerī sunt servī, multae puellae sunt ancillae. Cuius filiū servus est? In imperiō Rōmānō ancillae filiū servus est. Estne servus quoque servī filiū?

Germānia nōn est in imperiō Rōmānō, nōn est prōvincia Rōmāna. Suntne virī Germāniae dominī? Suntne virī Germāniae servī? Suntne ancillae fēminae Germāniae, suntne dominae?

LIBRI LIBERORVM

AD CAPITVLVM II

Ecce liber antīquus. Est liber Iūliae. Quis est titulus librī puellae?

- 5 ‘FEMINAE ANTIQVAE’ titulus librī est. Quot vocābula sunt in titulō? Duo vocābula sunt.

Ecce liber Quīntī. Liber novus est. Quis est titulus librī puerī?
 ‘VIRI IMPERII ROMANI’ est titulus. Quot vocābula in titulō librī
 Quīntī novī sunt? Tria sunt. Quot syllabae sunt in vocābulō prīmō
 10 titulī librī? Duae syllabae sunt.

Iūlia puella est et Quīntus est puer. Puerī puellaeque liberī sunt.
 Librī Iūliae et Quīntī sunt librī liberōrum.

Quot sunt librī liberōrum? Num trēs sunt? Nōn trēs sunt, sed
 duo sunt. Quot sunt librī novī liberōrum? Ūnus est.

- 15 Quot sunt pāginae librōrum liberōrum? Centum pāginae sunt.
 Quot capitula sunt in librō Iūliae antīquō? Sex capitula sunt. Quot
 sunt vocābula in librō puerī? Mille vocābula sunt.

Quīntus: “Ecce liber meus magnus!” Iūlia: “Liber tuus nōn
 magnus est. Parvus est liber tuus! Est magnus liber meus.”

- 20 Quīntus: “Pāginae librī meī sunt multae. Pāginae librī tuī pau-
 cae sunt.”

Iūlia: “Sed litterae librī meī sunt magnae, et sunt parvae litterae
 librī tuī!”


Quī titulī sunt librōrum liberōrum?

- 25 Suntne Iūlia Quīntusque liberī librōrum?

librī ≠ liberī



ūnus liber



duo librī



ūnus ... ?



duo liberī



Ancillam pulsat.



Servum verberat.

Est Naevia *quam*
Batiātus pulsat.

Est Batiātus *quem*
Spartacus verberat.

Quid est *quod*
Naevia videt?

NVM DOMINVS PLORAT?

AD CAPITVLVM III

Dormit Batiātus, quī dominus est.

Naevia, quae ancilla est, cantat. Iam nōn dormit Batiātus, quia 5
eam audit. Irātus venit et eam pulsat. Naevia plōrat.


Crīxus, quī servus est, rīdet. Batiātus, quī Crīxum audit, eum
vocat: “Servus probus nōn rīdet!” Crīxum pulsat. Crīxus plōrat.
Batiātus: “Vir nōn plōrat!” Crīxum verberat. Iam nōn plōrat Crīxus.

Venit Spartacus, quī servus quoque est. Videt Naeviam, quae 10
plōrat. Videt Crīxum quoque, quem interrogat: “Cūr Naevia plōrat?
Quis eam pulsat?” Respondet Crīxus: “Batiātus eam pulsat, mēque
verberat.” Spartacus eum interrogat: “Quid? Tē verberat? Cūr
Crīxus nōn verberat Batiātum? Fū! Vir probus verberat virum quī
fēminam pulsat.” Crīxus respondet: “Quia servus dominum nōn 15
verberat.” Spartacus irātus: “Improbum est!”

Batiātus dormit. Ecce venit Spartacus et Batiātum verberat.

Crīxus venit, et Spartacum videt. Batiātum quoque videt, quem
verberat Spartacus. Batiātus plōrat! Rīdet Crīxus eumque vocat:
“Fū! Vir nōn plōrat!” Crīxus quoque Batiātum verberat. 20

Venit Naevia. Ecce servus verberat dominum, et plōrat domi-
nus! Naevia Batiātum pulsat, et rīdet: “Dominus quī plōrat et quem
verberat servus nōn est dominus, sed servus est!” Cantat: “Iam
Spartacus Crīxusque dominī novī sunt, et Naevia domina nova est,
et Batiātus servus meus est! Hahahae!” 25



DOMINI NOVI

AD CAPITVLVM IV

5 *(et fābulam anteriōrem ‘NVM DOMINVS PLORAT?’)*

Crīxus: “Batiāte, ubi est pecūnia?”

Batiātus tacet. Spartacus sūmit baculum eius, rūrsusque Batiātum verberat. Eum vocat: “Batiāte!”

10 Batiātus nūllum vocābulum respondet, tantum plōrat.

Naevia: “Ecce sacculum eius! Vidē, hīc! Habet pecūniam suam in sacculō suō!”

Naevia sacculum eius sūmit.

Crīxus: “Num vacuus est?”


15 Spartacus imperat: “Sacculum in mēnsā pōne, Naevia!”

Naevia respondet: “Nōn sacculus tuus est, Spartace, neque sacculus tuus, Crīxe! Sacculus meus est.”

Spartacus rūrsus imperat: “In mēnsā pōne!”

Quid est “fābula
anterior”?
Vidē pāginam VIII!
(←)

Naevia → “Naevia!”
Sed:
Crīxus → “Crīxe!”



ūnus homō,
multī hominēs

is: Crīxus
ea: Naevia



nāsus

Naevia tacet, et pāret. In sacculō nummī sunt.

Crīxus: “Quot nummī sunt?”

Naevia numerat: “Sunt decem nummī.”

Sunt laetī Spartacus Crīxus Naeviaque, quia numerus nummō-
rum in mēnsā magnus est. Sed Naevia Spartacus Crīxusque sunt 5
trēs hominēs. Quem numerum nummōrum habet ūnus homō?

Spartacus primum nummum sūmit, et imperat: “Crīxe, num-
mum secundum sūme!” Is sūmit nummum. Spartacus imperat
quoque: “Nummum tertium sūme, Naevia.” Ea sūmit nummum.

Iam septem nummī in sacculō sunt. Rūrsus ūnum sūmit Spar- 10
tacus, ūnum sūmit Crīxus, ūnum sūmit Naevia.

Iam quattuor nummī in sacculō sunt. Rūrsus sūmit Spartacus,
sūmit Crīxus, sūmit Naevia.

Iam ūnus tantum nummus in sacculō est. Cuius nummus est?
Tacet Spartacus, tacet Crīxus, tacet Naevia. 15

Rīdet Crīxus, et sūmit nummum. Num nummus eius est? Īrātī
sunt Spartacus Naeviaque. Baculum Batiātī sūmit Spartacus.

Ecce Crīxus nummum in nāsō Batiātī pōnit. Iam Spartacus
rīdet, iam rīdet Naevia. Crīxus: “Batiātus bonus servus est. Ba-
tiāte, bone et probe serve – nummum tuum sūme!” Batiātus tacet, 20
et pāret.

Sed audī! Vocat fēmina: “Batiāte!” Fēmina quae vocat est
Seppia, filia Batiātī. Iam Spartacus nōn rīdet, neque rīdet Naevia.

Crīxus: “Fū! Fīlia adest.”

Spartacus: “Nōn hīc est, neque audit neque videt quod hīc est. 25
Sed venit. Tacē, Crīxe.”

Batiātus filiā suā vocat: “Seppia! Sep...!” Rūsus eum pulsat Naevia.

Spartacus: “Tacē, Batiāte! Nūllum verbum respondē!”

Seppia rūsus vocat: “Batiāte? Respondē!” Nōn Batiātum videt neque Spartacum Crīxumque. Sed videt Naeviam, quae venit.



Naevia Seppiam salūtat: “Salvē, Seppia!”

Nōn salūtat Naeviam Seppia, tantum eam interrogat: “Dominus
10 tūus Batiātus adest?”

Naevia respondet: “Hīc nōn est. Abest.”

Seppia: “Nōnne mē vocat? Vir mē vocat!”

Rīdet Naevia, et respondet: “Nōn Batiātus est vir quī tē vocat.
Est Crīxus, quī laetus est, quia tē videt.”

15 Seppia: “Quid? Improbū Crīxum! Servus probus filiā domini sui nōn vocat. Fū!”

Seppia Crīxum accūsāt, et irāta discēdit. Nōn audit Naeviam, quae quoque discēdit. Ecce Naevia rīdet.

“Improbū
servus est.” :
“Improbū
servum!”

VILLA VACVA

AD CAPITVLVM V


Ubi sunt ancillae? Ubi sunt servī? Ubi sunt māter paterque et
Quīntus Mārcusque? Nūlla verba audit Iūlia, nūllōs virōs nūllāsque
fēminas videt. Vocat: “Mamma! Pater! Venīte!” Nōn veniunt. Vo-
cat Iūlia: “Quīnte! Mārce! Respondēte!” Nūllī respondent libērī.
Absunt. Sōla est Iūlia in villā vacuā.

Id Iūliam nōn dēlectat. Cūr discēdunt iī cum servīs ancillisque,
nōn cum eā? Quid agunt sine eā? Num amant puellam suam, quae
eōs amat? Plōrat Iūlia sōla. Discēduntne quia foeda est puella,
neque proba, neque bona? Plōrat et plōrat.

Rūrsus vocat. Venit in cubicula servōrum, in ātrium, in cubicu-
la puerōrum, in cubiculum Iūliī Aemiliaeque. Iam in ōstiō est: Ecce
hortus magnus! Nōn venit in eum, quī eam nōn dēlectat: Habitant
faunī in eō, virī parvī foedī improbīque, quī eam vocant et rīdent.

Rūrsus in ātrium venit. Ecce aqua in impluviō! In id venit et
aquam pulsat. Nōn iam plōrat. Rīdet! Amat aquam idque quod
hīc agit. Laeta est quia nūlla māter nūllaeque ancillae eam vocant:
“Improba est puella quae aquam pulsat!” Iam aqua nōn tantum in
impluviō est, sed etiam ex eō venit. Fluvīi in ātriō sunt. Ōceanus
est! Pulsat et pulsat puella laeta. Iam aqua ex ātriō in cubicula
venit. Ecce impluvium vacuum!

Discēdit Iūlia ex impluviō exque ātriō, et in peristylum venit.
Hortum magnum Iūlia nōn amat, sed hortus parvus in peristylō eam



faunus, faunī

in *id* (acc.) :
in *impluvium* (acc.)

dēlectat. Dēlectant eam rosae, quās amat, et līlia quoque: Rosās līliaque carpit, et nāsum suum in iīs pōnit. Carpit, et eās eaque numerat: “Ūnum, duo, tria, quattuor, . . .”

Respondet: “Quīnque.”

5 Tacet Iūlia. Quid? Quis respondet? Tacet et audit. Num faunī ex hortō magnō veniunt in hortum parvum peristylī?

Nūllum audit. Rīdet Iūlia. Sōla est!

Rūrsus numerat: “Sex, septem, octō . . .”

Respondet: “Novem.”

10 Iūlia rūrsus tacet. Iam nōn rīdet. Audit et audit. Videt līlia et rosās. Sunt multa līlia, sunt pulchrae rosae. Tacent. Sed . . . Audiuntne eam? Suntne quae respondent? Iūlia rūrsus audit:

“Lalla. . .” Cantant! Līlia cantant!

“Lallalla!” Rosae etiam cantant!

15 Ecce Aemilia īrāta: “Ō, improbam ancillam! Dēlia, tacē! Iam nōn dormit mea bona et proba puella.”

īrāta est, quia rūrsus fīlia sua nōn dormit, quia rūrsus cantat sua ancilla. Id dēlectat Mārcum, Aemiliae fīlium, quī adest quoque: Is rīdet eās trēs. Respondet Dēlia: “Ō domina, ancilla tua cantat tantum, nōn rīdet dominam neque fīliam eius. Puerum tuum verberā!”

Venit Quīntus, quī etiam fīlius est Aemiliae. Mātrēm Dēliamque īrātās videt, sed Mārcum videt laetum. Eum accūsāt: “Quid is agit? Rūrsusne improbus est?” Sunt īrātae fēminae, sunt īrātī puerī. Sōla īrāta nōn est Iūlia, quia adest familia sua (sine Iūliō), quam amat.

25 Iam sōla nōn est! Rīdet quia Mārcus rīdet – rīdet cum Mārcō.

Mārcus: “Quid? Cūr Iūlia mē rīdet?” Īrātus Quīntum pulsāt.

quās: rosās

eās (acc) carpit :
rosās (acc) carpit

ea (acc) carpit :
līlia (acc) carpit

Sed:

ea (nōm) eās carpit :
Iūlia rosās carpit


ea ea carpit :
?

eās trēs :
eās, quae *trēs* sunt
(*nōm.*: *trēs*, *trēs*, *tria*;
acc.: *trēs*, *trēs*, *tria*)

māter → *mātrēm*

mīlia: <++++>

Pōne litterās ad
vīllās vīasque:



- A: vīlla Quīntī Iūliī
- B: v. Sextī Caecilīī
- C: v. Septimī Metellī
- D: v. Quintī Metellī
- E: vīa Barca
- F: vīa Leppia
- G: porta Cornēlia
- H: porta Claudia
- I: X mīlia
- K: XII mīlia

MVLTAE VILLAE, MVLTAE PORTAE

AD CAPITVLVM VI

Ecce fēminae ante mūrū. Nōn procul sunt ab portā in mūrō. Ex
portā vir ad eās equō vehitur. Iam fēminās salūtāt et eās interrogat: 5
“Salvēte, dominae tam bonae quam pulchrae! Ubi habitat Sextus
Caecilius? Mē vocat, amīcum suum.”

Respondet fēmina prīma: “Ō! Vīlla Sextī Caecilīī post vīllam
Septimī Metellī est, quae est vīlla magna cum paucīs fenestrīs et
pulchrō hortō quae ante vīllam Quīntī Iūliī est.” 10

Respondet fēmina secunda: “Vīlla Quīntī Iūliī autem inter vīl-
lam Octāviī Caecilīī et vīllam Sextī Iūliī est, quae est vīlla parva
cum multīs fenestrīs et foedō hortō.”

Respondet fēmina tertia: “Et vīlla Sextī Iūliī prope Viam Bar-
cam est, ubi Via Barca in Viam Leppiam intrat, quae ad vīllam 15
Quīntī Metellī it, vīllam bonam sine fenestrīs, duodecim mīlia ā
Portā Cornēliā.”

Vir in equō fessus audit. Quot vīllae, quot Sextī, quot Iūliī!
Rūrsus fēminās interrogat: “Proculne est Porta Cornēlia ā portā
quae hīc est?” 20

Respondet fēmina prīma: “Nōn est. Is quī ad Portam Cornēliam
ambulat tantum quattuor portās it circum mūrū. Porta quae hīc est
Porta Aemilia est, et Porta Cornēlia post trēs cēterās portās est.”

Respondet fēmina secunda: “Nōn autem ex Portā Cornēliā dis-
cēdit Via Barca, sed ex Portā Claudiā. Est porta secunda post Por- 25

tam Cornēliam, et Porta Cornēlia tantum duās portās post Portam Aurēliam est.”

Vir in equō iam tam īrātus quam fessus audit. Quot portae, quot numerī! Iam equum imperat: “Age! Portam Claudiam quaere,
5 quae duās portās ante Portam Cornēliam est, quae ... porta tertia est post portam quae ... hīc est?” Cum equō discēdit.

Respondet (neque ab virō auditur) fēmina tertia: “Est Porta Claudia ex quā Via Barca discēdit, sed est via inter Portam Cornēliam et Villam Sextī Iūliī duodecim mīlia longa. Villa Septimī Metellī
10 autem decem tantum mīlia ā Portā Claudiā est.”

Vident fēminae virum equumque, quī iam parvae videntur, quia procul sunt ab iīs.

Fēmina prīma: “Nōnne ‘Porta Claudia’ nōmen antīquum est huius Portae Aemiliae?”

15 Fēmina secunda respondet: “Est. Sunt sex tantum portae in mūrō oppidī. Vir quī ab hāc portā sex portās ambulat circum mūrū, rūrsus ad hanc portam venit.”


Post umerōs eārum virōs audiunt, itaque ad Portam Aemiliam eunt, quae etiam Porta Claudia est.

20 Fēmina tertia: “Ecce via Barca hīc in oppidum venit. Vidēte, virēs per eam in oppidum inrant!”

Venit lectīca, quae portātur ab quartīs servīs. Ex fenestrā lectīcae dominus nāsum suum pōnit, et fēminās salūtat: “Salvēte, amīcae meae!”

25 Respondent: “Salvē, bone amīce Sexte Caecilī!”

Pōne litterās ad portās:



A: porta Claudia
B: porta Aemilia
C: porta Cornēlia
D: porta Aurēlia

videntur

nōmen : titulus

→	porta quae	→
ad	hīc est	ab
	hanc	hāc
	portam	portā

Caecilī (voc) ←
Caecilius